

*bellatorum, qui à principio prædicationis crucis post generale concilium, trecentas naves magno studio ingressi sunt, ut vota sua peregrinationis exsolverent crucifixo. Sub Frisonum nomine, pro more illius sæculi, Hollandi etiam vicinæque gentes continentur. Paulo etiã post subdit idem Scriptor; Classe divisa, pars altera, duos habens Capitaneos, Wilhelmum scilicet Hollandiæ ducem, & Comitem de Wiede Georgium, Alchavam obsedit. Satis disertè hic indicatur, Hollandiæ Comitem, Archithalassi munere in imperatoria illa expeditione functum fuisse. Ex quo non ita difficulter colligi potest, celebrem Hollandorum in navigationibus instituendis peritiam tunc temporis fuisse. Dicam amplius nempe naves omnes, quæ expeditioni isti interfuere, ex Hollandia abiisse. Disertim id testatur Godefridus Monachus, S. Pantaleonis, coætaneus illorum temporum. Wilhelmus, inquit, Comes Hollandiæ, & Georgius Comes de Wiede cum aliis Cruce signatis Teutoniæ ad terram sanctam navigio proficisci desiderantibus; super unum de nobilioribus terra fluvii fluvium Mosam congregati sunt apud Flerdinga. Intelligit opidum Hollandiæ ad ripam Mosæ positum, quod magni olim nominis & roboris, nunc Mosæ alluvione pene absumptam, Vlaerdinga appellat.*